

Septim.

*Septimo* : Sicut compositum est compositum ex materia, & forma, ita est subsistens compositum subsistentia materie, & subsistentia forme: adde quod antequam uniatum forma materie, debet esse subsistens.

Octavo.

*Octavo* : In triduo mortis Christi, anima & corpus erant separata ab inuicem; attamen Verbum supplebat subsistentiam, non modo corporis, sed etiam anime; anima ergo Christi subsistebat, non subsistentia totius, sed subsistentia Verbi supplete propriam subsistentiam anime rationalis, quam inquam habuisset anima rationalis, si fuisset relicta in suo statu naturali.

Nono.

*Nono* : Anima rationis, saltem separata habet propriam subsistentiam, ergo & eam debent habere forme materiales; ideo enim anima rationalis habet propriam subsistentiam, quia materie subsistentia est incompleta; ut autem compositum completum, & adæquate subsistat, debet habere formam propriam subsistentiam.

Decimo.

*Decimo* : Eius ratio coincidit cum septima.

Vndecimo.

*Vndecimo* : Subsistentia forme non impeditur per unionem, neque forme subsistentia impedit unionem; ergo danda est pro forma propria subsistentia.

Ostenditur tamen in materia libitius ratio.

Ad primam.

Pace Auerse pleræque ex his rationibus non conuincunt.

Ad secundam.

*Ad primam* enim dicit Ruuius compositum non habere à partibus suam adæquatam subsistentiam, sed ipsam pullulare post unionem forme cum materia: Vnde habebit quidem compositum id totum, quod habet à partibus, aut antecedenter, seu constitutiue; aut consequenter, seu emanatiue; entitas ergo compositi est à partibus constitutiue; at verò consequenter subsistentia illa totalis ex unione forme cum materia emanat.

Ad tertiam.

*Ad secundam* diceret subsistentiam totalem esse diuisibilem; quia sicut totum non est indiuisibile, sed habet partes, scilicet materiam, & formam, ita & eius subsistentia erit indiuisibilis, proindeque ex vna parte cadet in materiam, & ex altera in formam.

Ad quartam.

*Tertia* Ratio habet aliquid ponderis; sed tantum probat de anima rationali, non verò de formis materialibus.

Ad quintam.

*Ad quartam* diceret Ruuius, quod quælibet pars compositi sit incompleta, at subsistentia non conuenit per se, nisi naturis completis, forma autem est quid incompletum, ergo & c.

Ad sextam.

*Quintum* non facit ad nostrum propositum.

Ad septimam.

*Ad sextam* negabitur consequens, nam forma subsistat per compositum, non verò per materiam.

Ad octauam.

*Ad septimam* negabitur compositum esse subsistens per partes, sed potius partes per compositum: vnde negabitur, quod partes prius subsistant, quam totum compositum, sed tantum materia; quæ ideo dicitur subsistere per se, quia est primum subiectum rerum naturalium: conueniens autem est, ut primum subiectum subsistat de se; at forma non est sic; ergo sufficiet, quod subsistat subsistentia compositi.

Octaua & nona.

*Octaua & nona* Ratio probant de anima rationali tantum.

*Ad decimum* respondebitur sicut ad septimum.

*Ad vndecimum* dices impediri formam, ne habeat subsistentiam propriam, ex eo quod veluti inhæreat materie, nec concipiatur per modum per se stantis, bene tamen ipsa materia.

Quamuis, ut visum est, non plenariam fidem adhibeamus rationibus Auerse pro allata resolutione; attamen ipsi resolutioni acquiescimus, quæ & sufficienter probata relinquetur, si ostenderimus rationes, quas affert Ruuius pro sua doctrina (quam non crediderim esse Omnium, ut ipse putat) esse nullius momenti.

Probare ergo intendit Ruuius formas materiales non habere propriam subsistentiam duabus rationibus, quarum

*Prima* est, quod non subsistit independentiter à subiecto, illud per se non subsistit, sed forme materiales dependent in suo esse à materia, tanquam in subiecto, in quo inhærent, & à quo sustentantur; ergo forme materiales non habent suum peculiare subsistere.

*Alter* Ratio est, quod non operatur per se, non subsistit per se, sed forme materiales non operatur per se, ergo & c.

*Ad primam* respondeo distinguendo maiorem, quod non subsistit independentiter in ratione nature, concedo; in ratione partis nego; forma ergo materialis in ratione partis non subsistit independentiter à materia, & compositum, bene tamen in ratione nature; nam habet formam, quod sit pars, & quod sit natura talis, in quantum pars subsistit subsistentia compositi; at in quantum natura, quia est substantialis; idcirco postulat illum modum incommunicabilitatis, qui dicitur *subsistentia*, per quem etiam distinguatur ab accidentibus, quæ certè non subsistunt subsistentia propria, sed subsistentia sui subiecti.

Quod si istes: Quod habet subsistentiam, dicitur habere suppositum, quod si sit natura rationalis, verè dicitur persona, & per consequens anima separata diceretur verè persona, quod nemo dixerit.

Respondeo negando subsistentiam partialem dicere suppositum, sed tantummodò subsistentiam totalem; suppositum enim non dicitur, nisi de naturis completis; subsistentia ergo illa partialis non reddit naturam incommunicabilem per modum partis, sed tantum per modum nature; id est facit, ut natura forme non sit natura materie, & ut illæ duæ nature sint à se inuicem independentes, in ratione inquam nature, non verò in ratione partis.

*Ad secundam* Ruuij rationem concede maiorem, & dic non subsistere per se in ratione partis; bene tamen in ratione nature. Adde quod operationes sunt totius compositi, & per consequens postulant subsistentiam totalem: at verò subsistentia partialis non importat posse operari per se solum, quia operationes sunt suppositorum (ut vulgò dicitur) id est naturarum completarum, & subsistentium incommunicabiliter, tum in ratione nature, tum in ratione partis: imò forma est independens à subiecto in ratione nature; quare in ratione nature nullo modo dicitur inhære materie;

Ad decim.

Ad vndecim.

Probatur resolutio ex solutione rationum communium opinionum.

Prima ratio Ruuij.

Alter.

Resp. ad primam.

Instantia.

Impugnatur.

Resp. ad secundam.